

FRANCISCI PATRICII  
PANCOSMIAS  
LIBER TRIGESIMUS SECUNDUS  
*DE TERRAE SUBSTANTIA.*

Terra hæc, quæ in medio infiniti mundi posita, essentiæ, virium, actionumque suarum conservationem, et perfectionem eo loci nacta est, cuius nam, et qualis substantiæ ipsa erit? Qualium facultatum? Qualium operationum? Qualesque patietur passiones? Et a quibus actoribus? Hæc enim omnia, sunt de terra consideranda. Primo ergo principem eius essentiam, sive substantiam contemplemur. Sed superflua forte videatur hæc inquisitio. Quis enim tetram nobis tam proximam sensibusque expositam omnibus, non cognoscit? Si penitus res hæc introspectiatur, maiorem quam promittat, de se præbebit difficultatem. Re, quod dicimus, comprobemus. Terram esse corpus, nemo dubitat. At quale corpus? Simplex inquiunt Peripatus omnis. At simplex quid nam sit, non omnis inter se conveniunt. Namque eorum non pauci, simplex in materia nullum esse afferunt. Quod si eis detur, nulla corpora erunt simplicia. Igitur nec terra. Alii dixere, simplicia ea esse, quæ substantiam suam non mutant. Nulla ergo elementa, quia per partes, in continua sunt substantiæ mutatione, simplicia non erunt. Si dicant, partes quidem mutantur, tota non mutantur. Ergo partes, dicemus nos, simplices non sunt, et partes totum constituunt. Ergo nec tota simplicia erunt. In similibus enim, et indifferentibus, docebat Aristoteles, quo motu partes moventur, movetur et totum. At partes substantiam transmutant. Et hoc singulæ, et omnes possunt facere. Ergo et tota elementa poterunt substantiam transmutare. At substantiæ transmutatio, corruptio et est, et nuncupatur. Ergo elementa tota corruptibilia sua natura sunt, quæ tamen Peripatus æterna esse maxime voluerat. At et cælum mundi elementum est, et vocatur a magistro; ergo et cælum erit corruptibile. Ergo et mundus: pro cuius æternitate tantopere magister laboravit. Tot ambages, cum sophismatibus connexuit. Sed hæc paucula hic obiter inciderunt secuta, simplicitatis immutabilitatem. Ad rem nostram redeamus. Alii dixere, simplex illud esse, quæ unum tantum est. At terra, at elementa nulla unum sunt, terra ergo simplex non est. Habent enim elementa omnia, maceriam, et formam. Et præterea per eos qualitatum primarum binas. Alii dixere, simplex illud esse, quod potentia caret. Itaque qui materiam simplicem posuere, materiam penitus tollunt, quia ipsa non aliud sit, quam pura potentia. Et potentia caret alia omni. Alii simplex esse aiunt, quod in compositionem alterius venit. At ita, quia elementa simplicia non sunt, corporum naturalium compositionem non ingrediuntur. Atque ita neque elementa erunt, et nulla composita corpora in natura reperientur. Itaque ea schola, quæ elementalia mista corpora omnia, ex elementis constituere est annixa: omnia mista, et composita corpora destruere est annixa: mira quadam, et sibi propria philosophandi methodo. Ut pote quæ plerumque, ea quæ adstruere maxime vult, maxime destruit. Nos vero quid aiemus? Terram esse corpus quidem, minime tamen omnium simplex, maxime omnium compositum. Neque enim terram esse corpus simplex, nobis licet asserere, qui iam antea, unum illud supremum rerum omnium principium, solum simplex esse demonstravimus. Qui reliqua entia omnia ab eo progenita, et procreata, prout unitatis, ita et simplicitatis esse participia docuimus. Corporeorum vero entium præter unum illud corpus primissimum, quod spacium appellavimus nulla alia esse simplicia. Imo vero hoc ipsum non posse esse omnino simplex, et tunc asservimus, et modo asserimus. Neque enim spacium hoc per se, ulla sui parte stare liberum posse monstravimus, sed fluore sibi cognato, inde usque ab initio, et lumine, et calore fuisse repletum ostendimus. Quæ tria, et per totum spacium funderentur, et in eo, et cum eo, et inter se miscerentur, e ex se reliqua omnia corpora, Empyreum, ætherem, ærem, aquamque et quæcumque ex eis, et in eis sunt partes, constituerent. Itaque nullum omnino esse corpus simplex nostris dogmatibus est iam constitutum. Quid ergo concedemus nos terram esse simplicem, quæ corporum omnium est compositissima? Non solum quo nos